

Simplex,  
Simpliciter simplex, &  
Summè simplex.

Simplex dicitur esse ens, quod partibus caret, quod fraude, & dolo caret  
vt dicit Gerson, de qua simplicitate inquit dominus. Estote simplices  
sicut columbae.

Deus est summè simplex.

Simpliciter simplex inquit Gab. Biela dicitur esse, quod caret qualibet compositione intrinseca, hoc modo Angelus, & anima, & etiam accidentia quæ sunt intensiue, & extensiue indiuisibilia dicuntur simpliciter simplex.

D. 8. li. 1. q. 1.

Stephanus vero Brulefer de mente Scoti inquit, quod simpliciter simplex dicitur esse ens, quod non est resolubile in aliqua postiuæ, & constitutiua ipsius, sed vltima resolutio stat ad ipsum solum. exem. est in conceptu entis: Nam ens resoluatur in seipsum. Notat vltius, q. est duplex simpliciter simplex.

D. 8. q. 1. lib. 1. par. 2.

Physicum, & Metaphysicum. } Ens simpliciter physicum, quod non resoluatur in partes essentielles constitutiuas, sed vltima resolutio stat ad ipsum dicitur esse materia prima, quæ vocatur yle: vt est nudata ab omni forma. Sic vltima forma, quæ aduenit alicui vt vegetatiua in plantis: sensilis in brutis, & intellectus, in homine.

Simpliciter simplex dup.

Nam anima non componitur ex re, & re, sed est forma, quæ caret omni materia, sic prima materia sic est materia, quod nihil habet de forma.

Ens vero simpliciter simplex Metaph. est illud quod non includit alios conceptus priores quid dicitur ens ex quibus componitur, vel in quos resoluatur, vt est conceptus vltimæ differentie. Quia dupl. sumitur. Nam Alius est conceptus simpliciter simplex quid dicitur ens, vt conceptus entis. Nam ens significat naturam rei, ergo quid dicitatem.

Alius est conceptus simpliciter simplex qualitatiuus, vt sunt vltimæ differentie, vltimæ differentie prædicatur in quid.

Vltimum est summè simplex, & est ens, quod caret compositione intrinseca, & extrinseca: Hoc autem ens est Deus solus. Ideo Deus ita est simplex summè, quia nec est compositus in se: Nec componibilis alteri, nec aliud illi est componibile.

Non est in se compositus, quia non est res naturalis, quæ est ex materia, & forma, sed est supra naturalis, quæ causat naturalia.

Non est componibilis alteri, vt Angelus, qui licet sit simplex in essentia, tamen componitur ex intelligibili, & volitione, qui est purissimus actus.

Non est componibile, aliud cum illo, vt accidens cū accidente, quia miscerentur, quia est improporcionabile, omni illi, cum sit infinitus, & immensus.

1. Par. 4.

Hanc conclusionem affirmant omnes Theologi, S. Thomas, Richardus, Alexander de Ales, Bonauentura, dicentes. Summa simplicitas est quod nullo modo componi potest, nec secundum partes: nec secundum multiplicationem formarum, nec secundum dependentiam, nec secundum actionem, nec secundum intellectionem, & dicitur simpliciter essentialis.

Rationes assignantur. Omne quod est primum in quocunque genere & omnibus modis dicitur esse simplicissimum. At Deus est primum in quocunque genere causarum, principiorum, mouentiu, & agentium, ergo erit simplicissimum.

Præ. omne, quod est, quicquid habet, est simplicissimum. At Deus est totum quicquid habet, ergo simplicissimus, Maior vera. Minorem proba. Nisi idem esset cum Deo, quod est in Deo, ergo illud esset aliud, ergo dependeret, ergo non primum ens, hoc falsum, ergo.

Præ. In Deo est infinitas virtutis, ergo summa simplicitas. Patet, quia summa virtus est in summa vnitatē. Nam vno fortis, ergo maior vno erit fortior, ergo maxima, & infinita, erit imensa, & simplicissima. Hinc vocatur.

De simplicitate.

Vnus, } Vnus, quia non diuiditur, } Non diuiditur, quia caret quantitate, } Ergo erit vni  
Idem, & } Idem quia non distinguitur, } Non distinguitur, quia caret differentijs, } tas, idēitas &  
Simplex. } Simplex quia non componitur, } Non componitur, quia caret partibus. } simplicitas.

HÆC Quo ad probationem modo sunt aliquæ difficultates, quæ soluam breuibus.

ARGVMENTA CONTRARIA

Præ. Vbi diuersitas ibi nulla simplicitas: At in Deo est suppositorum diuersitas, ergo non est simplicitas.  
Præ. Vbi datur numerus ibi datur compositio: At in Deo datur numerus Ternarius, ergo compositio, ergo non summa simplicitas.

Præ. vbi datur constituens, & constitutum non est summa simplicitas: At in Deo datur constituens, & constitutum, ergo datur compositio, ergo non summa simplicitas. Maior vera, proba minorem.

In singulis personis datur essentia & relatio: At essentia est, quid constituit a Relatione, ergo compositio. Nam resoluatur persona in relationem, & essentiam, ergo.

Præ. Vbiunque dant prædicata diuersa ibi datur diuersitas: At in diuinis dantur prædicata diuersa, ergo si diuersitas non est summa simplicitas. Proba minorem. Dicimus de Deo ista prædicata.

Deus est magnus, Deus est sapiens, iustus, bonus, verus, sed ista sunt diuersa. Nam alia est sapientia a iustitia, iustitia alia a bonitate, a magnitudine, ergo diuersa, ergo compositio, ergo non summa simplicitas.

R E S P O N S I O N E S

Argumentorum.

Ad primum Respondeatis hoc modo, quod diuersitas est duplex.

Prima